



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 115. Calvinistarum progressus in Pictavia, & Aquitania.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul. XVI.
A.C. 1567.

octodecim equitum Gallorum, & delectis Italarum alis jam Udencum venisset, ut obsessis laborantibus præsto esset, & pabulatores prohiberet, ac com meatum interciperet, Colinium maris Præfectum eo mittit, attributis Antonio Valdræo Mojo, & aliis ducibus cum octo equitum Gallorum, & sex Germanorum alis, quæ ter mille quingentos viros efficiebant: igitur Architalassus Udencum vi ingressus Italos aliquot obvios habuit, cum jam Valeta vasis conclamatis impedimenta ad discessum urget: ubi plerique occisi, alii capti, & quatuor vexilla capta sunt, atque impedimenta, & equi in fœderatorum potestatem venere, qui mox inde nusquam intermisso itinere cum præda opima in castra ad suos reversi sunt. Valeta ex tumultu collectis quingentis equitibus crebro ad insequentium incursionem frontem obvertens nusquam solutis ordinibus periculo summa cum sua laude se eripuit, & ad Andegavensem Ducem, qui adversa ex parte castra habebat, se recepit.

§. CXV.

*Calvinistarum progressus in Piſtavia,
& Aquitania.*

In aliis quoque Provinciis Calvinistarum copiarum magnos fecere progressus; *Thu. l. c.*

O 3

quippe

Sæcul. XVI.
A.C. 1567.

quippe in Pictavia Luffonum urbem Bocellus, & Silvagius vi occupant, Templumque, & circumpositas porticus per-rumpunt, obviis quibusque jugulatis.

Postea Maranensis arcis Præfectura Silvagio commissa, eademque die Ludensis Comes ad Nerminix oppidum contendit, copiasque per vicina præsidia Fontenaji, Niortii, Mareolii, Luffoni, & ad Herminix fanum distribuit, qui milites oblata belli gerendi occasione nullum non genus sævitix, ac libidinis in rusticam plebem soluta militari disciplina exercebant.

Præterea Leberus Retensem urbem cepit, ubi omnes præsidiarios ibidem re-
ptos crudeliter jugulavit: qua sævitia terri-
ti Insulani ceteras munitiones deserunt,
& navigia obvia nacti tumultuarie in-
de Rupellam abeunt: porro illi, qui
Vicecomites appellabantur, nimirum
Burniquetus, Monclarius, Paulinus,
Serignanus, Calvimontius, Rapius,
& Montacutus suas copias ex Aquita-
nia contra Condæi Principis castra du-
cebant, ubi Santeranum in Alvernix
finibus prope Cornacum offendunt, cæ-
duntque: ast victoribus noctu Cornacum
redeuntibus, instauratoque prælio Pon-
tenacus occisus, ejusque corpus in
Changianam arcem delatum, ibique se-
pultum fuit, quamvis illud postea a re-
gio

gio milite effossum, ac diu ludibrio expositum tandem immaniter discerptum est.

Sæcul. XVI.
A.C. 1567.

§. CXVI.

Pacis conditiones a Regina Fœderatis propositæ.

Cum hujus belli eventus utrinque admodum incerti essent, atque aliunde merito timendum, ne Calvinistæ Carnuto occupato insolentiores fierent, hinc rursus pacis negotium repetitum est, ac præprimis Regina easdem, quas jam olim proposuerat, pacis conditiones Condæo Principi offerebat. Hic quoque cum obsessam Carnutensem urbem occupare præter opinionem suam desperaret, ac Germaniæ copiis stipendia numerandi tempus instare cognosceret, ad pacis consilia multum inclinare videbatur: rebus igitur utrinque ita dispositis, Rex die vigesima septima Februarii demandatæ facultatis diplomata expediri jussit, ut Longi-Gemelli conventus haberetur, cui Regis nomine Armandus Gontaldus Biron castrorum Præfectus, Henricus Memmius, & Malassifus libellorum supplicum Magister interessent: pro Calvinistis vero Castillionæus olim Cardinalis, Rupifocaldius Comes, & Buchavannius convenirent. Diu fatis utrinque acriter disceptatum,

Thu. l. 41.
Mem. de Castell. l. 6. c. 11.
Dupleix hist. de France t. 3. p. 732.